Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Ear. 225 c.
9500.
quart. Réd.

RESPONSIO

PRINCIPVM GERMANIAE DAta Reuerẽdissimis dominis Legatis sanctissimi domini nostri Leonis X. & cæteris Oratoribus in Augusta Vindelicorum, ANNO M. D. XVIII.

Per eruditissimum uirum dominum Richardum Bartholinum Perusinum, Cappellanũ Reuerendiss. Cardinalis Gurcensis in literas relata.

Ex Museo Hungarico

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

M.N.M. MÚZEUM KÖNYVTÁRA

RESPONSIO

quam in Rhomani Imperij Comitijs Augustæ Vindelicorum habitis, Principes Germaniæ dederunt, Reuerendissimo dn. Thomæ de Vio Caietano ordinis Prædicatorum Cardinali. TT. S. Sixti, Legato apostolico, & cæteris Oratoribus, decimas à sacerdotib9, à laicis uigesimas ac quinquagesimas, p bello contra Turcas suscipiendo, petentibus aut exigendas suadentibus,

ANNO M. D. XVIII.

Ex libello dn. Richardi Bartholini Perusini.

INGRESSVS est Augustam Cardinalis S. Sixti, Persica, ut Legatum decebat, pompa. quippe qui uel Rhomam reuerti, uel Cæsare ac cæteris principibus obuiam euntibus ingredi Augustam, uolebat.

Vt Pontificij tandem audirentur in senatu principũ, cõuentus habitus est. Legati deinde illuc profecti sunt, excepti in altera porta curiæ à Marquardo von Stain Præposito Bambergensi uiro graui & cordato, qui Cæsaris locum tenebat, à Cardinali Maguntino ac cæteris principibus. Et primo literæ & diplomata apostolica recitata, quibus Pont. Max. Principibus Germanis significabat, quo in periculo Resp. Christiana posita erat, & propterea opus esse tantorum principum auxilio. Hortabatur

Literæ Põtificis.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

tabatur præterea ipsos ut cum sint potentissimi, & magna de eorum potentia spes ab omnibus concepta sit, uelint suam ipsorum gloriam, ac utilitatem Reip. Christianæ respicere. Multáq; cum in hanc sententiam recitata fuissent, Cardinalis S. Sixti, orationẽ habuit ad Principes satis cultam & rei accommodatam. qua quidem, captata prius ab eis beneuolentia, cum se bonos nũcios fore diceret, causam exposuit quamobrem uenerint, scilicet quod periculum immineret nomini Christiano. Probauit autem à uictorijs nuper à sæuissima Turcarũ gente habitis. Argumẽta etiam sumpsit à discordijs nostris, hortatusq; est ut expeditionem contra fidei hostes sumerent, cum multo potior inferentis quàm propulsantis bellum, ratio sit. Quod quidem & uelle debere, & posse, probauit, ab honesto, ab utilitate, à religione, item à potentia, à fortitudine, à disciplina militari. Addidítq; non sine infamia eos posse huic rei deficere, cum tota Christianitas ex præsenti pendeat conuentu. Item usus est & paradigmatis Imperatorum Henrici & Othonis, qui Christianum nomen sæpissime oppressum liberarunt, & quo Germania Turcis quàm Italia propinquior est, eo maiorem dandam operam esse, & acrius inuigilandum, ut non solum sibi, sed etiam communi commodo & utilitati consulerent. In fine, ad concordiam, Pontificis Max. nomine, bonis & efficacibus uerbis hortatus est.

Oratio Cardinalis S. Sixti.

Principes

Principes cum paululum consultauissent, responderunt se uoluntatem sanctissimi domini nostri, & per diploma iam lectum, & per orationem Reuerendiss. Legati concinnam & ornatam intellexisse, quodq; super huiusmodi negocio secretius & maturius consiliũ essent habituri. Tamen quod Reuerendiss. Legati Pontifici Max. illud de principibus Germaniæ polliceri possent, quod sanctitati suæ ad defensionem, & incrementum Christiani nominis uideretur. Nam quantum ad hanc prouinciam attineret, nunq; essent defuturi. Breuiq; se responsum de omnibus daturos.

Principes

Nõnullis ergo elapsis diebus, cum Principes quid Legatis respondendum esset (tandiu enim consultando distulerant) conclusissent, Orator ex collegio sacerdotũ Leodiensium curiam ingressus est, oraturus mox, nisi Principes præ rerum magnarũ tædio, quo affecti erãt, uetuissent. In schedula tamen, quæ dicturus erat, uti describeret, iusserunt. Is cum in sinu haberet, porrexit. quæ quidem nihil aliud continebat nisi maledicta ac cõuicia in Rhomanẽsem curiam. Numerabat fraudes omnes, uitia, scelera, sycophantias, deceptiones, imposturas, in quibus CVRIALES nostri tẽporis uersantur. Omnia corrupta esse. nihil boni, nihil pij, amplius cognosci. nihil iusti, nihil sancti foueri. Et pleraq; alia huiusmodi nulla alia de causa recitabãtur, nisi quod iura omnium

Leodiẽsiũ sacerdotũ Orator.

CVRTESANI.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

beneficiorũ essent abolita. Illud tantum de omnibus & ubiq; agi, quod sycophantæ illi ac impostores Rhomæ uolũt. tantumq; abesse ut aliquid certi in sacerdotijs habere possis propter regressus, accessus, reseruationes, &, ut perinde ualeat, expectatiuas, reuocationes, & mille id genus, ut pedales quoq; ac tibiales reseruationes paulo post sint prodituræ. Et quod grauissime ferendum est, ignari ac infimæ conditionis homines, non uirtute ulla, non literis præditi, in stabulis tantum ac popinis uictitare soliti, ingenio malo prauoq;, ad magnas plerumq; efferuntur dignitates. quod quidem cum ubiq; hoc patrari, sed potissimum in Leodienses consuetum sit, rogare principes, obsecrareq; ut effrenata Curialium libido aliquando coërceatur. quando hæc ignorante Pontifice Max. omnium optimo & sanctissimo cõmittuntur, nõ uereri si de his omnibus, ac omnium ferè collegiorum querela à principibus Germaniæ certior fiat, quin pessimi quiq;, qui Rhomanam curiam labefactant, pœnas daturi sint.

Ora Car lis S

Pedales ac tibiales reseruatiões.

Leodiẽses.

Leonis. X. laus.

Cũ hæc, & pleraq; alia in hãc sententiã lecta fuissent, dilata ad pomeridianam consultationem fuerunt.

Excusat se Pontifex.

Interim Pont. Max. diplomata recitata sunt. Nam cũ pleriq; nunc auaritia, nunc ambitione eum accusarent, diluit in ijs obiecta, suadetq; Principibus tantũ abesse ut pro

ut pro ambitione quicq; ipse aggredi meditetur, ut etiã omnem defensæ Christianitatis gloriam in eos, modo eam tueri uelint reiecturus sit. Quod autem auaritia damnaretur, falso eo uitio accusari, cum ipse id tamen se uelle, quod principibus Germanis, ad bellum Turcis inferendũ, proficuũ magis uideretur, semper asseruisset.

Quæ cum Principes intellexissent, iniquo (ut accepi) tulerunt animo. damnatis etiam summopere ijs, qui huiusmodi discordiarum nutrimenta disseminarent, cum publica potius negocia, quàm quid unus uel alter seorsim à bonorum opinione senserint, respicere deberent.

Sed illud longe dissimillimũ Germanorũ Principum dignitati uisum est, cum etiã scriptũ esset, si trahi aut rationibus aut persuasionibus in sententiam nõ possent, impellerentur quoq;.

Principes Germaniæ nolunt impelli.

RESPONSIO.

Principes igitur cum responsum, quod Germanica Latinaq; lingua scribi iusserant, Legatis tandem reddituri essent, Cæsaris prius trutinæ ac cẽsuræ, quàm in uulgum prodiret, subijci uoluerũt. Cæterum quantum coniectura assequi possum, ut nõ receptum, ita ne reiectum quidem, in posterum diem ita redditum est.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Legati Oratoresq; & Pontificis & regis Galliæ, Cæsariani uero Episcopus Tergestinus, & Præpositus in Vualtkirchen, cum simul conuenissent, disceptassentq; de futuro principum responso, ad Cæsarem profecti sunt. Conuenerunt & Oratores Poloniæ. Cæsare igitur ac reliquis sessitantibus, Episcopus Tergestinus in hanc sententiam uerba fecit.

SACRATISSIME CAESAR, Cũ serenissimi Principes diu multumq; super ijs, quæ à Reuerendissimis Legatis ac cæteris Oratoribus proposita fuerant, cogitauissent, animaduerterunt rem arduam esse, atq; perdifficilem, in qua de expeditione cõtra Turcas suscipienda ageretur. Et idcirco molem rei ac magnitudinem complectentes animo, conducibiliusq; fore, si negocium maturius tractaretur, rati in præsentiarum responsum dare liquide se haud posse, sed cum primum in prouincias redijssent, populos quenq; suos consulturum esse, & quid inde hauserint, in proximo conuentu, quem ante discessum nominabunt, relaturos. Hæc Tergestinus breuiter & ornate. ac fortasse prudentius quàm uel nostra, uel temporum culpa mereretur, factum. Non enim omnia quæ in schedis scripta fuerant, uulgóque iactabantur retulit, cæterum non erit ab re, si etiam in hoc albo breuiter & concise descripsero.

Respõsio

¶ RESPONSIO IN SCRIPTIS:

Principibus cum multa in consultationem occurrerent, quæ ob rei difficultatem, à celeritate procul esse uidebãtur, tria tamen obstare, quæ hauddubie impedien di, uel omnino retardandi expeditionem uim essent habitura, ¶ Primum erat, quoniam uires hostium uali/ dissimæ sunt, ut non minus quàm quinquaginta arma torum millia è Germanis essent ad bellum datura nomina. & propterea de annuo stipendio, ac de incredibili comeatuum copia ratio habenda, cum per loca Thraciæ Mœsiæq;, ubi nulla frumentationis, prædáeue occasio datur, ituræ copiæ sint. Germanos siquidem suis uiribus non alienis confisuros. Cum multa in hanc sententiam quæ rei difficultatem ac magnitudinem arguerent, satis grauiter & copiose descripta fuissent, Secundo loco illud quoq;, quod in ore omnium erat, cæterum satis ornate & prudenter tangebatur, nos tamen uulgi opinionem sequemur, Obstare scilicet maxima. Quod omnia sacerdotum collegia ad decimam persoluẽdam haud facile induci posse suspicabantur. cum nullus in Germania locus sit, qui propter ea quæ indies perperã cõmittuntur, querelis uacet, quandoquidem omnia sacerdotia ita passim & sine discrimine conferunt, ut neq; compactata (ut dicitur) Germanicæ nationis, neq; iura gentilitia

A difficultate.

A querelis sacerdotũ.

Concordata Pricipũ.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

16
RÖPL.
30

1576.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

gentilitia intacta remāserint. Cæteras nationes, Gallos, Pānones, Sarmatas, Dacos, Britannos inuiolatis uiuere iuribus. Pontificis Max. cum ijs fœdera iandiu inita, seruari. solos Germanos in præda esse uel externarum gentium. tantumq; abesse, ut principum, municipiorū, liberarum ciuitatum, ac collegiorum sacerdotia, à dolis Curialibus immunia sint, ut omnia eorum iura suspendantur, debilitentur, frangantur, irritentur, ac ne Episcopatibus quidem parcatur. unde illæ patronorum ac rabularum conflatæ Rhomæ diuitiæ. Nam priusq; certi quicq; habeatur, uel pro tantulo beneficio, per tam longam officiorum seriem, quæ ad extorquendas pecunias tantum excogitata sunt, tibi circueundum est, ut propter dispendium maximum, iacturamq; incredibilem, templi supellectilem, ac panniſicia omnia licitari necesse sit. Sed utinam & illud quoq; prodesset. nam ubilibet Rhomæ noua, & inexcogitata iura reperiuntur. & cum omnia desunt, silentia nō desunt, rupto uiolatoq; omni iure atq; æquitate mortalium. Et propterea omnibus iam sacerdotijs, uel altercationibus, uel grauibus pensionibus, sine quibus quippiam in præsentiarum non consequimur exhaustis, necnō & clam & in propatulo, mentibus erga Pontifices male affectis, Coniuncta tertio loco profanorum etiam querela erat, quæ mirum in modum inuidiā exaggerabat. ij nullatenus se Vigesimas, Quinquagesimasue daturos affirmare. Et si Principes cogerent,

O miseros Germanos.

Doli Curiales.

Officia.

Noua iura

A querelis Laicorum.

cogerent, pessime factum uociferari, qui toties populis suis ob hanc causam expilatis, se toties pueriliter decipi sinerent. Numerare quoties datæ pecuniæ sunt. tum demum in pecunias diripiendas, nō in Turcas, bellum gestum esse. Repetere & Annatarū originem, quas à principio institutas esse asserebant, ut contra Turcas, Sarracenosq; exponerentur. Interrogare identidem, tantus pecuniarum aceruus quorsum perijt, & in quem usum Ecclesiasticæ prædæ tandem conuersæ fuerint. Quamobrem ne illud quoq; de Decimis ac Vigesimis fiat, ut pro consuetudine scilicet, ac potius lege in posterum haberetur, quod semel imperaret necessitas, se, quo minus eiusmodi onera imponerent, prohibituros. His ergo de causis Germani Principes cum prouinciam maxime arduam, atq; animorum acerbitatem uiderent, differre cōsultius arbitrati sunt, ut interim persuasionibus, populi emollirētur, & ad magnitudinem rei, & inchoandam & perficiendam mature omnia compararentur.

Annatæ.

Ne ex consuetudine fiat lex.

FINIS.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

A M.N.MUZEUM KÖNYV-TÁRA

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library